



# Disputatio juridica inauguralis de emtione & venditione

<https://hdl.handle.net/1874/340683>

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
EMTIONE & VENDITIONE,

QVAM  
FAVENTE DEO TER. OPT. MAX.

Ex auctoritate Magnifici Rectoris,  
**D. JOHANNIS van MUYDEN,**

Jur. Utr. Doct., ejusdemque Facultatis in Inclita Academia  
Ultrajectina Professoris Ordinarii,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academicorum consensu, & Nobilissimae

Facultatis JURIDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,  
Et summis in UTROQUE JURE honoribus & Privilegiis  
rite, ac legitimè consequendis.

Eruditorum Examini subjicit

**P E T R U S P A E T S, R O T E R O D. B A T A V U S.**  
Ad diem 2. Maii, horâ locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiacæ  
Typographi, clo I<sup>c</sup>c LXXXVII.

HADRIANO

P A E T S,

J. U. D. Confessus, qui ad  
Mosam rebus maritimis præ-  
est, quæstori fidelissimo fra-  
tri suo plurimum dilecto.

*Clarissimo Doctissimoque*

*V I R O,*

D. JOANNI  
SYLVIO.

J. U. D. Gymnasii Roteroda-  
mensis Rectori vigilantissimo,  
de studiis suis optime merito.

*Hasce Theses Inaugurales*

D. D. D.

P E T R U S P A E T S,  
*Auct. & Resp.*

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
Emptione & Venditione.

THEISIS I.



Um unicuique satis cognitum sit in hac Illustri Academia gradum doctoratus, & summos in Utroque jure honores in neminem conferri, nisi prævio examine, & exhibito specime, profectuum, quos ea in arte fecit, supervacaneum fuerit de occasione harum Thesium quicquam differere. Ad rem ipsam itaque transeamus. Emptionem Venditionem definio Contractum bonæfidei, qui perficitur, simulatque super re & pretio inter Emtorem & Venditorem convenit.

#### 4 DISPUTATIO JURIDICA

venit. *pr. inst. b. tit.* licet nec pretium numeratum , nec arrha data , nec quicquam horum traditum scriptumye fit.

##### I I.

Limitatur tamen hæc generalis Regula 1. Speciali pacto , quo convenit inter contrahentes , ut scriptura interveniat ; quod pactum si intercesserit ; non ante perfecta censetur emptio venditio , nisi scriptura numeris omnibus absoluta sit. *pr. inst. b. t. l. 17. C. de fid. instr.* 2. Ubi consensu partium pretii definitio in arbitrium Tertii est collata *§. 1. inst. b. Tit. l. ult. C. eod.* Nihil enim tam naturali æquitati conveniens est , quam pacta conventa , quæ contra bonos mores non sunt , servari *l. 1. ff. de pact.*

##### I I I.

Obligatur itaque hoc Contractu  
ven-

# INAUGURALIS. 5

vendor ad rem tradendam l. 11. §. 2. ff.  
*de act. emt.* Emptor ad premium dandum  
ita ut neutri invito altero à contractu  
recedere liceat , nequidem cum dis-  
pendio & amissione arrharum à parte  
emptoris, vel à parte venditoris eum  
duplicatarum restitutione : Incon-  
gruum enim foret , eo , quod ad con-  
firmationem Contractus datum est,  
uti tanquam remedio ad dissolven-  
dum contractum.

## I V.

Quod si vendor rem tradere no-  
lit , quæritur , an liberari possit præ-  
stanto id quod interest , cum inte-  
resse succedat in locum rei ? Nos sen-  
tentiam nōgantem tuemur , asseri-  
musque venditorem præcisè teneri  
rem tradere : distinguendum enim  
est inter facta mera , & ea qua præ-  
stationes quasdam continent. In illis

A 3              prio-

## 6 DISPUTATIO JURIDICA

priorem regulam facile admittimus,  
in his non item. *l. 52. §. I. ff. de verb. oblig.*  
*V.*

Cum sit Emptio Venditio Contractus Consensu constans, per se patet quidquid consensui obest, etiam huic contractui obesse. *l. 116. ff. de reg. jur.* Vis igitur, error, & dolus malus eum vitiant. Et de vi quidem expedita res est, eam hunc contractum impedire, nisi forte quis à supremum imperium habente cogatur ob utilitatem publicam ad rem vendendam, quod certe sine ullâ injuriâ fieri potest ob dominium eminens, quod Majestatem habenti competit in bona Civium. In errore distinguendum, utrum sit circa substantialia, an circa accidentalia. Cum substantialia contractus sint contractus ipse, evidenterissimum est, talem errorem utpote  
con-

INAUGURALIS ,  
consensum in ipso contractu tollen-  
tem , naturæ Contractus adversari.  
Secus est in errore circa accidentalia.

V I.

Quoad dolum , distinguendum  
est inter dolum dantem causam  
Contractui , & dolum incidentem  
in Contractum. Dolus dans causam  
Contractui dicitur , quo quis indu-  
citur ad Contrahendum , qui alias  
contracturus non fuisset. Incidens  
dicitur , quo quis circa incidentia  
decipitur , veluti ut vilius vendat ,  
aut carius emat. Prior dolus Contra-  
ctum reddit ipso jure nullum. *l. 7. pr.  
ff. de dol.* Secunda doli species purga-  
tur , id est damnum dolo malo datum  
reparatur , emti vel venditi actione  
ob dolum illatum *l. 13. & seqq. ff. de act.  
empt.*

VII.

Ubi Emptio Venditio perfecta est,  
quam-

## 8 DISPUTATIO JURIDICA

quamvis consummata nondum sit, statim rei venditæ periculum ad emptorem pertinet. §. 3. *inst. b. t.* quamvis dominus nondum sit, contra communem Regulam quæ dictat *rem peri-re suo domino*; Sed quæ ita intelligenda est, ut dominus sit hoc sensu rei creditor, non autem de domino, rei debitore, ut in contractu, de quo hic agimus.

## VIII.

Premium debet esse certum sive per definitionem contrahentium, sive per demonstrationem, aut relationem, ad arbitrium tertii §. 1. *Inst. b. t. l. 7. §. 1. ff. de Contrah. empt. Vend.* In numerata pecunia consistens, ut differat à permutatione. *Justum*, ita ut nec emptor nec venditor ultra dimidium lædatur, quo casu rescinditur venditio & læsus in integrum restituitur. ex *l. 2. C. de resc. vend.*

Sub-

## IX.

Subjectum Emptionis Venditionis sunt res quælibet quæ sunt in Commercio ; Quas vero vel Naturale vel gentium , vel Civile jus commercio exemerunt , earum nulla est venditio . *I. 34. §. 1. ff. de Contr. empt.*

## X.

Quod dictum est Emptionem Venditionem statim perfectam esse simulatque consensum est super re & pretio , atquè exinde periculum rei venditæ ad emptorem pertinere , fallit in rebus quæ pondere numero , & mensura constant , quæ priùs appendendæ adnumerandæ & admensurandæ sunt antequam earum periculum ad emptorem spectet , cum per admensionem annumerationem , & appensionem a genere , in quo confistebant antea , & cuius Emptio Venditio nulla esse potest , transeant

B in

10 DISPUTATIO JURIDICA  
in speciem five individuum.

X I.

Ex hoc Contractu duplex nascitur actio , Empti sc. & Venditi Actio  
Empti datur Emptori adversus Ven-  
ditorem , adhoc ut rem tradat & do-  
minium transferat si dominus sit , a-  
lias evictionem præstet , cum fru-  
ctibus accessionibus , & omni cau-  
sa a tempore perfecti contractus *l. 13.*  
*§. 10. 12. & seqq. ff. l. pen. Cod. de Act.*  
*empt. vend.* cum æquum sit eum , ad  
quem spectat periculum rei ,  
etiam percipere rei commoda , &  
denique ad præstandum dolum &  
culpam levem tantum *l. 5. §. 2. ff.*  
*comm.* cum in hoc contractu utrius-  
que vertatur utilitas ; & denique ad  
præstandum quicquid ex bono &  
equo venditorem præstare oportet.  
*l. 60. & 70. ff. de evict.*

XII.

I N A U G U R A L I S. ii

X I I.

Actio venditi datur Venditori ad-versus emptorem ad pretium conse-quendum nec non ad usuras à tem-pore moræ solvendas *l. 32. §. 2 ff. de usur.* ad sumptus in rem factos , & quæ ex bono & æquo plura venditori de-bentur.

X I I I.

Ac hoc Contractu differt pactum de emendo , quod ut cætera pacta nuda actionem non parit , *l. 28. C. de transact.* & a quo propterea recedi potest , si arrha data non sit , si ve-ro data sit , cum arrhæ dispendio.



# COROLLARIA.

LIX

I.

*Futilis est distinctio Ususfructus in Causam  
& formalem.*

II.

*Negotiorum gestor tenetur de culpa le-  
vissima.*

III.

*Nuptias debet precedere Consensus Patris.*

IV.

*Tutoris datio demandari non potest.*

V.

*Solo animo retineri potest possessio , non ac-  
quiri.*

VI.

*Quarela inofficiosi Testamenti est ipsa Here-  
ditatis petitio.*

F I N I S.